



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

Concilium Frisingense In Causa Ecclesiasticarvm constitutionum tempore
Nicodemi de Scala episcopi celebratum anno Domini MCCCCXL. sub
Eugenio papa IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

talis seu Romana) fuerunt permiffi manere: ficut, quod celebrent in fermentato, quod baptizent in alia forma quam nos, videlicet: Baptizetur feruus Dei nostri in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Item quod ordinati in facris vtantur matrimonio contracto ante fufceptionem ipforum ordinum facrorum. Item quod nutriant barbam. Item quia dent facramentum euchariftie fub vtraque fpecie omnibus, etiam paruulis: & multa alia.

Insuper & Armeni, & aliqui ex India miferunt oratores fuos Florentiam ad dominum Eugenium, poftulantes & fupplicantes inftitui & erudiri in iis qua funt fidei a Romana ecclefia, & vniri cum ea in caritate Chrifti. Qui examinati, in paucis reperti funt diffentire a catholica fide, & in illis fubiecerunt fe correctioni apoftolica fedis. Que de confilio pralatorum decreuit in ritibus fujs, qui non funt contra veritatem fidei, permitti, ficut & Greci, licet difsimiles fint a moribus Latina ecclefia: in aliquibus vero, qua a fide vera difcrepabant, prohiberi: vt quod facramentum confirmationis non habebant in vfu conferendi illi nationi, declarato eis, quod illi ficut & cetera facraria deberent accipere, credere & conferre; & aliqua alia, qua nunc non occurrunt menti. Quibus determinationibus acquieuerunt.

Armeni cum Romana ecclefia confentiant. vide Concilium.

Quibus honoribus Eugenius papa poft finem Concilii Bessarionem affecerit, ex Chalcocondyla recitauit fupra, verbo Concilium.

^h Anno Domini.] Quo tempore Concilium habitum & inchoatum fuerit, & quamdiu durauerit, ex iis qua fupra fummatim dixi, euidenter confat.

ANNO CHRISTI 1440.

CONCILIVM FRISINGENSE
IN CAUSA ECCLESIASTICARVM
constitutionum tempore Nicodemi de Scala epifcopi
celebratum anno Domini MCCCCXL. fub Eugenio
papa IV.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|--|--|
| I. De clericis peregrinis & ignotis. | XI. De decimis. |
| II. De iudicijs. | XII. De regularibus & eorum ftatu. |
| III. De foro competentis. | XIII. De iure patronatus & aduocatis ecclefiarum. |
| IV. De vita & honeftate clericorum. | XIV. De cenfibus & exactionibus. |
| V. De cohabitatione clericorum & mulierum. | XV. De benedictione falis & afperforii diebus Dominicis. |
| VI. De clericis non residentibus in ecclefijs vel prabendis. | XVI. De celebratione Miffarum. |
| VII. De prabendis & dignitatibus. | XVII. De baptifmo. |
| VIII. De conceffionibus prabende & ecclefia non vacantis. | XVIII. De custodia euchariftie, chriftifmatis & aliorum facramentorum. |
| IX. De rebus ecclefie no alienandis. | XIX. De clandestina defponfatione. |
| X. De feptuluris. | XX. De fimonia, & ne aliquid pro |
- Concil. Tom. 33. SSS

- spiritualibus exigatur vel promittatur.* XXIV. *De pœnitentiis & remissionibus.*
- XXI. *De Iudæis.* XXV. *De sententia excommunicationis, interdicti & suspensionis.*
- XXII. *De usuris & usurariorum pœnis & præemptionibus.* XXVI. *De publicatione statutorum, & eorum copia habenda.*
- XXIII. *De pœnis.*

PRÆFATIO.

Ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, salutem quoque gregis nobis crediti. Nos Nicodemus eiusdem gratia episcopus Frisingensis, vna cum venerabilibus fratribus nostris sincere dilectis, Nicolao præposito, Henrico decano, totoque capitulo ecclesiæ nostræ Frisingensis, nec non venerabilibus patribus, honorabilibusque nobis in Christo dilectis abbatibus, præpositis, archidiaconis, decanis, ac vniuerso clero nostræ diœcesis, nobis in hac sacra Synodo assistentibus, ad coercionem excessuum, reformationemque morum, diligenti ac matura deliberatione præhabita, infra scriptas constitutiones & statuta ex causis rationabilibus solenniter & communiter edidimus, & præsentibus promulgamus, sub pœnis quoque in eis contentis præcipimus inuiolabiliter obseruari, & vt infra continetur, in anno bis publicari.

CAPITVLA.

I.

Quia pastorali sollicitudini incumbit, subditis providere, ne ab ignotis seducantur, quos nonnunquam percepimus retroactis temporibus abiectos, & quod detestabilius est, facinorosos, inhabiles circa diuina, se ingessisse in animarum pericula & scandala plurimorum, districte sub excommunicationis pœna præcipimus & mandamus vniuersis nostræ diœcesis prælatis, decanis, ecclesiarum rectoribus, plebanis & vice-plebanis, ne de cetero aliquem alienæ diœcesis, seu ignotum etiam peregrinum se pro presbytero, seu in sacris constituto gerentem, ad

ANNO
CHRISTI
1440.

ipforum consortium sacramentorum & sacramentalium administrationem, vel alias ad regimen quoquo modo admittant, nisi desuper literis nostris aut vicarii nostri patentibus, aut aliis legitimis documentis fuerint certificati.

II.

Ne quisquam laicus vexetur per inanem citationem laboribus & expensis, statuimus & præcipimus omnibus iudicibus ecclesiasticis nostræ diocesis, ne laicos quoslibet ad audiendum sui citent vel euocent, nisi causam citationis exprimant nominatim & expresse, quæ ad forum pertineat ecclesiasticum de iure vel consuetudine, nec citatum super aliis causis quam in citatorio expressis respondere compellant. Quoniam frustra forent iudiciorum strepitus & diffinitiones, si non fierent earumdem executiones. Statuimus & sub excommunicationis pœna mandamus omnibus & singulis nostris subditis, quod tam nostra quam aliorum nostrorum iudicum iussa, præcepta, mandata, sententias & processus cuiuscumque continentia aut tenoris firmiter sibi destinata deuote recipiant, & fideliter exequantur, nuntios eorundem beneuole acceptent, ad vindictam vel offensionem nullatenus prodeant, per proprium sigillum, si habuerint, in signum executionis celebratæ literas ipsas vna cum subscriptione muniant & consignent. Si quis autem contemptor vel neglector fuerit in aliquo præmissorum, ad præfatam pœnam, & nihilo minus parti læsæ teneatur ad refarciendum expensas & damna pariter & interesse, præmissa nostra taxatione vel iudicum eo-

rumdem ; a quibus prædicta emanarunt , & hoc quantum in litem fuerit iuratum.

ANNO
CHRISTI
1440.

I I I.

Quia priuilegium fori ecclesiæ est immediate a iure diuino , quandoquidem nec consensus , nec tolerantia excusare potest , animarum periculis prouidere volentes , statuimus , & vniuersis Christi fidelibus nostræ diocesis districtè præcipiendo inhibemus , ne quemquam clericum , aut personam ecclesiasticam , capitulum aut collegium quodcumque ad iudicium forense trahant : iudicibus quoque forensibus , ne quemquam eorundem coram se experiri cogant. Alioquin tam actor quam iudex sententiam excommunicationis ipso facto incurrant. In qua ipsos & ipsorum plebanos , dum in scriptis legitime requisiti fuerint , similiter sub eadem excommunicationis pœna volumus illico excommunicatos publice denuntiari , nunquam ad absolutionis beneficium admittendos , donec parti læsæ super iniuriis & expensis taliter irrogatis caueant vel satisfaciant competenter secundum æstimationem & declarationem legitimas , coram nobis vel iudice ecclesiæ nostræ rite faciendas. Salua nihilo minus exactione pœnarum in constitutionibus aliis super hoc per sedem apostolicam & in Concilio prouinciali promulgatarum.

Inhibemus , & sub pœna excommunicationis interdiciamus omnibus Christi fidelibus , clericis & laicis nostræ diocesis , vt nullus ipsorum contra dictum Saluatoris & sacros Canones sine iussu nostro aut vicarii nostri speciali , præter iudices capituli

ANNO
CHRISTI
1440.

nostri & archidiaconi in Raettnbuch per archidiaconatum ibidem, de causis matrimonialibus diffiniat aut agnoscere præsumat.

Licet illorum qui occulte Dei iudicio asserunt, lepræ morbo percussi separatio a communione hominum maioribus gradibus ecclesiæ dumtaxat secundum expertorum medicorum examen sit credita, frequenti tamen querelarum assertione percipimus, plures innocenter separatos, alios separandos toleratos, præsentis statuto sub excommunicationis pœna inhibemus, quod nullus deinceps nostræ diœcesis clericus vel laicus quocumque modo vel forma quemquam sua temeritate audeat iudicare leprosum, vel ab hominum separare communione. Sed vniuersis & singulis sub nostra diœcesi degentibus districte præcipimus, quod suborta fama contra quemquam, quod lepræ morbo percussus sit, talem nostræ aut vicarii nostri transmittat audientiæ, tamquam ad sacerdotem Leuiticum per nos aut vicarium nostrum amplius examini medicorum subiiciendum pro experimento, an rumori veritas suffragetur: hoc tamen, nisi casus adeo sit indubitatus, quod tergiuersatione nequeat occultari; puta, cum infirmus aperte profitetur, quod manus Domini tetigerit eum.

IV.

Quia clericorum est, in seipsis implere voluntatem Domini, & lucere per honestam conuersationem, qualiter alios oportet in domo Domini conuersari, sacra Synodo approbante statuimus, volumus & mandamus, vniuersos clericos nostræ

SSSS iij

diœcesis præpositum, beneficiatos & in sacris constitutos honeste, clericaliter & deuote se exhibere, a crapula & ebrietate abstinere, mitras caudatas penitus dimittere, cingulos & monilia auro, argento, vel alio metallo excessiue ad modum laicorum splendentia abiicere omnino & vitare, vestes non rubei nec viridis coloris deferre desuper clausas, sic quod superior aliis superemineat, vt inferior nequeat maxime in summitate apparenter videri, pirtum capiti superpositum cum caputio humeris imposito portare ipsis in publico deambulantibus. Contrafacientes vero, vltra pœnam iuris communis, per suspensionem a perceptione fructuum beneficiorum suorum fabricæ applicandorum, secundum quod proteruia meruit & excessus, arctius debere per nos aut vicarium nostrum puniri.

Item inhihemus omnibus clericis supradictis, ne in publico vel alibi præsentibus laicis tabernas intrent, nisi in itinere constituti, vel alia ex causa rationabili, nec ludos inhonestos, maxime taxillorum exercent, nec talibus intersint. Contrafacientes vero pœna iuris communis & ad arbitrium nostrum aut vicarii nostri puniri volumus & mandamus.

Item statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, vt nullus clericorum, maxime beneficiatorum, cauponem vel tabernarium hospitem sibi constituat continuum in domo habitationis suæ, aut potum venalem negotiationis causa exponat publice, aut vendat: permittimus tamen domos prælatis & monasteriis pro ho-

ANNO
CHRISTI
1440.

spitalitate rationabiliter introducta, & secundum
permiffum regulæ & iuris communis. Contra-
facientes arbitrio nostro, aut vicarii nostri, arctius
puniri volentes.

Ne redemptoris Domini nostri Iesu Christi pa-
trimonium inutiliter consumatur, aut in vſus tem-
porales exquisitis diabolicis ſuggeſtionibus expen-
datur, de quo potius pauperum neceſſitatibus eſt
ſubueniendum: ſtatuumus ne clerici, maxime bene-
ficiati, quacumque dignitate præfulgeant, mimis,
ioculatoribus, hiſtrionibus, buffonibus, galliar-
dis, ſeu hominibus artis ludicræ, prætextu nuptia-
rum, militiæ, vel alterius ſimilis cauſæ, quidquam
largiantur.

V.

Volumus concubinatum euitari ſub pœnis de-
creti ſacri generalis Concilii Baſileenſis, quas pœ-
nas vna cum pœnis iuris communis contra inobe-
dientes exequi præcipimus & mandamus. Tenor
autem prædicti decreti ſequitur per omnia in hæc
verba:

*Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis in Spiritu ſancto legi-
time congregata, vniuerſalem eccleſiam repræſentans,
ad perpetuam rei memoriam.*

QVICVMQVE clericus, cuiuſcumque ſtatus, conditio-
nis, religionis, dignitatis, etiamſi pontificalis vel alte-
rius præminentia existat, qui poſt publicationem eiuf-
dem in eccleſiis cathedralibus, quam ipſi diœceſani om-
nino facere teneantur, poſtquam eadem conſtitutio ad
eorum notitiam peruenerit, fuerit publicus concubina-
rius, a perceptione fructuum omnium ſuorum beneficio-
rum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos
ſuus ſuperior in fabricam vel aliam euidentem eccleſia-

rum vtilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, conuertat. Nec non & huiusmodi publicum concubinarium, vt primum talem esse innotuerit, mox suus superior admonere teneatur, vt infra breuissimum terminum concubinam dimittat. Quod si non dimiserit, vel dimissam aut aliam publice resumpserit; iubet hæc sancta Synodus, vt ipsum omnibus suis beneficiis omnino priuet: & nihilo minus hi publici concubinarij, vsquequo cum eis per suos superiores post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem, fuerit dispensatum, ad suspensionem quorumque honorum, dignitatum, beneficiorum vel officiorum sint inhabiles. Qui si post dispensationem reciduo vomitu ad huiusmodi concubinatum redierint, sine spe alicuius dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles existant. Quod si hi ad quos talium coercitio pertinet, eos, vt prædictum est, punire neglexerint, eorum superiores tam in ipsos deneglectu, quam in illos pro concubinato modis omnibus digna priuatione animaduertant. In Concilijs enim prouincialibus & synodalibus aduersus tales punire negligentes, vel de hoc crimine difamatos, etiam per suspensionem a collatione beneficiorum vel alia condigna pœna seueriter procedant. Et si hi, quorum destitutio spectat ad summum pontificem, per Concilia prouincialia aut suos superiores propter publicum concubinatum comperiantur priuatione digni, statim cum processu inquisitionis ipsi summo pontifici deferantur. Eadem diligentia & inquisitio in quibuscumque capitulis generalibus & prouincialibus quo ad suos seruetur, pœnis alijs contra prædictos & alios non publicos concubenarios statutis in suo robore permansuris. Publici autem intelligendi sunt non solum hi, quorum concubinatus per sententiam aut confessionem in iure factam, seu per rei euidenciam, quæ nulla possit tergiuersatione celari, notorius existit, sed & qui mulierem de incontinentia suspectam vel infamatam tenet, & per suum superiorem admonitus ipsam cum effectu non dimittit. Quia vero in quibusdam regionibus nonnulli iurisdictionem habentes, pecuniarios quæstus a concubinarijs percipere non erubescunt, patiendos eos in tali foeditate fordescere, sub pœna maledictionis æternæ præcipit, ne deinceps sub
pacto

ANNO
CHRISTI
1440.

pacto omnino compositionis aut spe alicuius quaestus talia quouis modo tolerant aut dissimulent: alioquin vltra praemissam negligentiae poenam duplum eius quod propterea acceperint, restituere ad pios vsus omnino teneantur & compellantur. Ipsas autem concubinas seu mulieres suspectas praelati modis omnibus curent a suis subditis etiam per brachii saecularis auxilium, si opus fuerit, penitus arcere. Qui etiam ex tali concubinato procreatos filios apud patres suos cohabitare non permittant. Iubet insuper haec sancta Synodus, vt etiam in praedictis Synodis & capitulis haec constitutio publicetur, & quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat diligenter. Iniungit praeterea omnibus saecularibus viris, etiam si regali praefulgeant dignitate, ne vllum qualecumque inferant impedimentum quocumque quaesito colore praelatis, qui ratione officii sui aduersus suos subditos pro huiusmodi concubinato procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege diuina prohibitum sit, & sub peccati mortalis poena necessario euitandum, monet omnes laicos tam vxoratos quam solutos, vt similiter a concubinato abstineant. nimis enim reprehensibilis est, qui vxorem habet, & aliam mulierem accedit. Qui vero solutus est, si continere nolit, iuxta Apostoli consilium vxorem ducat. Pro huius autem diuini obseruatione praeccepti, hi ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quam aliis tantis remedijs cum studio laborent.

V I.

Periculis animarum, quae cunctis operibus praeferruntur, desiderantes occurrere, statuimus, volumus, & sub poena priuationis beneficii mandamus, vt omnes habentes ecclesias, quibus animarum cura est annexa, personaliter in eisdem resideant, aut infra hinc & festum sancti Michaelis proxime futurum nos aut vicarium nostrum legitime doceant, quare in eisdem personaliter residere non debeant nec teneantur. Quia beneficium datur pro-

Concil. Tom. 33.

Tccc

pter officium, statuimus quod quicumque canonicus ecclesie nostrae cathedralis, vel alterius collegiatae nostrae dioecesis, per se vel alium officium suum, quod exhibere debet in ordine quocumque secundum consuetudinem ecclesiasticam haecenus obseruatam, per vnam septimanam continuam neglexerit quacumque de causa vel occasione, decem libras denariorum vsualis monetae ad fabricam eiusdem ecclesiae soluere teneatur. Si vero minus quam per vnam septimanam neglexerit, eandem poenam proportionabiliter secundum ratam temporis persoluere teneatur. Si quis vero per secundam septimanam, vt praedicitur, neglexerit, a perceptione fructuum & reddituum praebendae quam obtinet in ecclesia, penitus sit suspensus, donec poenam soluerit integraliter superius expressam. Qui autem per tertiam neglexerit septimanam, ad nullum actum capitularem, nec ad aliquod stipendium praebendale admittatur, donec de poena satisfecerit memorata, nec non ad arbitrium nostrum, sicut alias sibi duxerimus adiungendum, puniatur.

V I I.

Quia in tantum quorundam processit ambitio, vt non duo vel tria, sed plura perhibeantur habere beneficia: de consilio venerabilium fratrum & patrum nostrorum hoc emendari cupientes, statuimus, & sub poena priuationis beneficiorum mandamus, vt omnes & singuli clerici nostrae dioecesis incomparabilia de iure beneficia retinentes, nobis aut vicario nostro infra hinc & festum sancti Michaelis dispensationes super hoc obtentas indicent &

ANNO
CHRISTI
1440.

ostendant. Inhibemus quoque sub eadem pœna, ne quisquam clericorum plures quam vnum teneat vicarium, nisi euidentis necessitatis causa aliud sibi a nobis vel vicario nostro fuerit indultum.

V I I I.

Ne per receptionem canonicorum præbendis non vacantibus alienæ mortis votum turpiter ingeratur, statuimus, vt de cetero nullus recipiatur in canonicum ecclesiæ nostræ cathedralis, nec alicuius alterius collegiatæ nostræ diœcesis, nisi vacauerit præbenda, quæ illi qui assumitur in canonicum, assignetur: alioquin receptio in contrarium facta nulla sit ipso facto, nisi facta fuerit de licentia nostra speciali.

I X.

Quia non omnibus liquent Canones contra alienationes rerum monasteriorum & ecclesiarum, iurium prohibitiones publicando, omnino inhibemus omnibus abbatibus, prioribus, præpositis & aliis prælatis ac clericis vniuersis, tam sæcularibus quam regularibus, sub pœna priuationis ad ministrationem ipsorum, ne de rebus ecclesiarum suarum vel monasteriorum suorum alienationes sine licentia legitima faciant perpetuas quocumque titulo, gratuito vel meroso: nec etiam res temporales insignes aut notabiles præter iuris formam & licentiam secundum eamdem obtentam * quocumque alienare præsumant, statuimus, & irrefragabiliter diffinimus, quod in qualibet parochia plebanus, assumptis sibi duobus honestioribus subditis suis, quorum quilibet habeat clauem vnam, & ipse

* f. quomodo-
cumque

tertiam, omnia quæ deuotione fidelium ad fabricam ecclesiæ, luminaria, vel ad alias utilitates fuerint deputata, diligenter colligat & conseruet, & his vsibus impendat, ad quos sunt deputata. Volumus etiam, quod nec tales sibi adiuncti, nec alii procuratores ecclesiarum qualescumque de rebus ecclesiæ præter scitum plebani quidquam disponant, vt & res ipsa suspicione careat, & non detur occasio subtrahendi res ecclesiarum. Volumus, & sub excommunicationis pœna præcipimus, quod plebani & assumpti sibi ad hoc officium seu ministerium exequendum, loci decano semel in anno quolibet plenam teneantur reddere rationem. Quem rationes huiusmodi sub eadem pœna, tam solícite quam attente, sub bonis testimoniis exigere volumus & recipere, atque auctoritate nostra sub memorata pœna inhibere plebanis & ecclesiarum procuratoribus, ne res ecclesiarum nomine *Vaccarum* vulgariter *Immer Kûe*, vel alias quouis quæsito colore sub specie vsuræ mutuent, aut quomodolibet locent.

Statuimus, vt nullus ecclesiasticus vel sæcularis, cuiuscumque status & conditionis fuerit, ecclesiarum vacantium aut clericorum decedentium bona rapiat, dissipet aut inuadat quocumque quæsito colore. Contrafaciens decedens ecclesiastica careat sepultura: viuens autem cum tota familia sua ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec ablata restituerit vniuersa.

Item simili pœna carentiæ sepulturæ decedentium & ingressus ecclesiæ viuorum prohibemus laicis, ne de sepulturis dandis se intromittant, nec cam-

ANNO
CHRISTI
1440.

panas vel alia ad diuinum cultum deputata contra voluntatem plebanorum quocumque modo, præsertim ad profana & religioni ecclesiasticæ aduersa contrectent, aut per mansionarios ecclesiarum pertractari mandent auctoriabiliter contra sacros Canones, nec in ecclesiis & rebus earumdem quidquam statuunt, vel quomodocumque ordinare præsumant.

X.

Insuper præsentis constitutione duximus inhibendum vniuersis clericis nostræ diocesis, ne suspensos patibulo, decollatos, vel alios qualitercumque per sententiam morti traditos, in torneamentis, ludis, publicis spectaculis, aut alias occisos, vel subito defunctos, qui non eodem anno confessi, vel alias in mortalibus peccatis morte præuenti fuerint, vel non receperint eucharistiæ sacramentum, nisi de consilio sacerdotis duxerint abstinendum, tradere præsumant ecclesiasticæ sepulturæ absque licentia nostra aut vicarii nostri super hoc petita diligentius & obtenta, nihilque pro concessione huiusmodi exigatur, neque recipiatur, nisi voluntarie offerant; sed dumtaxat sibi salarium competens soluantur.

XI.

Multi sæcularium interdum in detestationem cleri temeritate propria decimas quas omnium Dominus solui præcepit, seruitio suo mancipatis subtrahere non verentur in animarum suarum grande periculum. Ideoque cunctis prædicatoribus & confessoribus, religiosiis & sæcularibus præcipimus, &

in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus in prædicationibus & confessionibus subditos suos studiosius moneant & inducant, quod memores salutis animarum decimas ipsas omnium terræ nascentium sine diminutione integre; personales vero secundum laudabilem consuetudinem persoluant, si pœnas damnationis æternæ voluerint evitare.

XII.

Quia religiosos, qui per religionem sponte assumptam Deo dicati sunt, purioris decet honestatis & vitæ nitore clarere, vt Deo possint salubrius famulari. Quapropter præsentis constitutione irrefragabiliter duximus statuendum, vt vniuersi abbates, præpositi, priores, decani, ceterique monasteriorum professi nostræ diocesis, monastica & regulari vigeant disciplina, regulamque eis a sanctis patribus institutam, secundum quod sacrorum statuta Canonum edocent, præsertim tria ordinis substantialia, videlicet abdicationem proprietatis, obedientiam & continentiam, ceremonialiaque religionis secundum sanctam regulam & diffinitiones sanctorum patrum diligentius studeant in omnibus obseruare. Si quis autem prædictorum suæ salutis immemor promissorum extiterit violator seu neglector, secundum eandem regulam & diffinitiones patrum pœna condigna puniatur.

Quoniam nedum in viris, sed etiam in mulieribus Deo deuotis vigere debet religio sancta & vita monastica secundum regulam suæ professionis & patrum sanctorum diffinitiones, imo tanto cautius

ANNO
CHRISTI
1440.

tenentur prælati & alii eis præfecti vigilare, quanto fragiliores noscuntur: statuimus, volumus & mandamus, quod omnes prælati quorumcumque ordinum mendicantium & non mendicantium, & alii quicumque monachi & non monachi nostræ diocesis, quibus etiam a Deo deuotarum mulierum cura est commissa, easdem paterne, pie & solerter secundum suam regulam & patrum diffinitiones ad obseruantiam regulæ & monasticæ vitæ inducant, informet & compellant iuxta officii debitum: diligenter etiam vigilant, ne in receptione alicuius ipsarum quidquam per simoniam exigatur: negligentes vero & non reformantes, cuiuscumque religionis fuerint, maxime de ordine sancti Francisci, qui triplicem regulam siue modum sancte viuendi declarauit, districta animaduersione iudicii punire non tardabimus. Insuper constitutionem Bonifacii papæ octauæ super clausura monialium editam, quæ incipit, Periculo cum effectu; executioni demandari volumus & mandamus.

Quia nonnunquam sub specie religionis surgunt sectæ, nec non conuentiones pestiferæ iuribus inimicæ: præcipimus & mandamus cunctis ecclesiarum rectoribus nostræ diocesis, quod omnes viros & mulieres infra terminos suarum parochiarum degentes, sub specie religionum non approbatarum & communium in vita accepta, in communi vita popularium discrepantes requirant, quod infra mensem a sua requisitione ipsos informet, cuius religionis sint, & suæ vitæ ac status approbationem. Quod si non fecerint, ipsos teneant in omni obe-

dientia parochiali, sic alios parochianos & nobis aut vicario nostro eosdem nihilo minus denuntiare non omittant.

ANNO
CHRISTI
1449.

XIII.

Quamuis patroni & aduocati sint in subsidium ecclesiarum admissi, sæpe tamen hoc tendit ad noxam & oppressionem, vt inde sentiant detrimentum, quod a defensione noscitur institutum: & infra constitutione præsentis sancimus & volumus, quod tam patroni quam aduocati ecclesiarum, cuiuscumque præminentia aut status fuerint, gratia permessa, & antiquis iuribus ipsis & eorum progenitoribus in institutione prima, seu cum ipsi ad aduocatus a principio per eos ad quos pertinuit, suscipiebantur, deputatis, penitus & omnino stent contenti, & pro posse suo statum, honorem & res ecclesiarum requisiti fideliter tueantur & defendant. Item si patronatus plures filios aut heredes dereliquerit, omnes illi succedant in stirpem & in locum defuncti, ac nihil plus exigant, extorqueant vel recipiant, quam ei debebatur, in cuius locum & ius successerunt. Et nihilo minus sicut defunctus ecclesiam defendere, teneantur. Si quis vero in extorsione aut receptione iuris aduocatiæ modum excesserit memoratum, aut patronatus occasione, iure suo priuetur, & nihilo minus sicut raptor & spoliator ecclesiæ puniatur.

XIV.

Quamuis res ecclesiasticæ non ad alium quam pium vsum in quem ordinatæ sunt, expendi debeant, salua sedis apostolicæ auctoritate, quidam
tamen

ANNO
CHRISTI
1440.

tamen prælati & alii clerici plus timentes terrenam quam diuinam offendere maiestatem, non verentur laicis ecclesias quantum in eis est facere tributarias. Et infra: Sub excommunicationis pœna inhibemus vniuersis prælatis & clericis nostræ diœcesis, ne nouam *steueram, aut quamuis aliam exactiorem, laicis soluere præsumant, non habita super hoc superioris sui licentia speciali & expressa.

Item inhibemus omnibus clericis nostræ diœcesis sub pœna iam dicta, ne aliquis eorum decano aut archidiacono sine nostro aut vicarii nostri mandato collectam vel exactiorem soluere præsumat.

XV.

Cupientes affectum deuotionis augmentari, mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, & volumus omnes sacerdotes, qui parochiis præsunt, singulis diebus dominicis aquam & sal benedicere, ac eosdem vna cum toto clero ad ipsas ecclesias spectante horis consuetis ante Missarum solennia processionaliter circumire. Vt autem populus ad huiusmodi processiones inuitetur, omnibus vere pœnitentibus confessis & contritis ipsam processionem deuote sequentibus, ac illis qui huiusmodi processionibus libenter interessent, sed quo minus intersint custodia bonorum suorum, infirmitate aut alio legitimo impedimento detinentur, sub fiducia diuinæ pietatis de thesauro ecclesiæ quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus, & easdem indulgentias per rectorum supradictorum volumus exhinc publicari.

Concil. Tom. 33.

Vuuu

XVI.

ANNO
CHRISTI
1440.

Volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt nullus diuina Missarum solennia sine luminibus celebrare præsumat, nec hostiam ante consecrationem in altum quoquo modo eleuare, ne adorando hostiam non consecratam populum idololatriam committere contingat.

Item statutum Concilii prouincialis Saltzburgerensis præsentibus nostris statutis inferendum duximus, cuius tenor sequitur in hæc verba: Item statuimus, vt si quis clericus vel laicus vtriusque sexus, cuiuscumque dignitatis, religionis, vel status existat, ausus sit præsumptione damnabili publice prædicare, aut occulte docere, credere vel tenere, quod sacerdos in mortali peccato existens non possit conficere corpus Christi, seu sic ligatus non possit absolueret vel ligare suos subditos a peccatis, pro hæretico & incredulo habeatur. Quem errorem huius sacri Concilii approbatione damnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus, cum sacre scripturæ dicat auctoritas, quod siue bonus siue malus fuerit minister, per vtrumque Deus effectum gratiæ confert: non enim quæ sancta sunt coinquinari possunt, nec ipsa sacramenta per hominum malitiam profanari. Vnde sacerdos, quantumcunque pollutus existat, diuina non potest pollueret sacramenta, quæ purgatoria cunctorum contagiorum existunt. Licite ergo a quocumque sacerdote ab ecclesia tolerato diuina ministeria audiantur, & alia recipiantur ecclesiastica sacramenta. Damnatione simili reprobamus quorundam opinio-

ANNO
CHRISTI
1449.

nem erroneam, asserentem, episcopum, presbyterum, seu sacerdotem curatum non posse soluere presbyteros fornicarios a fornicationis reatu propter votum castitatis: inhibentes ne quisquam de cetero prædictam opinionem sub pœnis prædictis docere, tenere, aut dogmatizare quoquo modo præsumat publice vel occulte. Adiicimus quoque, vt nullus in dicecesi nostra ad prædicandum siue annuntiandum verbum Dei admittatur, nisi missus sit, & de missione sua constiterit sufficienter.

Cupientes ac volentes indulgentias de corpore Christi per dominum nostrum sanctissimum, dominum Eugenium papam quartum concessas publicari, tenorem earumdem præsentibus inseri mandamus, qui sequitur, & est talis.

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EXCELLENTISSIMUM corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sacramentum, quod appropinquante passionis eius hora Dominus ipse signo præcipui, quo nos dilexit, amoris salubriter instituit, eiusdem commemorationem sanctissimam iugi mentis exultatione contemplantis, ad hoc inter singulos huiusmodi mercato sanguine spiritualia dispensare munera votis exposcimus, vt illi condignis assurgentes laudibus, sua frequentia ad ipsius venerationem sacramenti corda dirigant, & eo quo corporalis habetur præsentia Saluatoris viatico fructus vitæ complectentes æternæ, cælestia conscendant, ipsum qui nobis se in edulium tribuit, perpetuo conspecturi. Sane dudum piæ memoriæ Vrbanus papa IV. prædecessor noster, ad orthodoxæ corroborationem & exaltationem fidei digne & laudabiliter statuens, vt de tanto sacramento præter illam quæ dietim in ecclesia fieret, annuatim memoria solennior & specialior haberetur, & ad celebrandum eius tam excelsum tamque gloriosum festum quin-

Concil. Tom. 33.

Vuuu ij

tam post octauas pentecostes feriam designans, ac Christi fideles quoslibet ad colendum illud donis spiritualibus animare volens, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui matutinali officio festi eiusdem in ecclesia, in qua etiam illud celebraretur, interessent, centum: qui vero Missæ, totidem; & qui in primis ipsius festi matutinalibus Vesperis, similiter centum: qui autem in secundis, totidem; illis vero qui primæ, tertiæ, sextæ, nonæ & completorii horarum officiis, pro qualibet ipsarum quadraginta: iis autem qui per octauas ipsius festi matutinalibus Vesperis, Missæ ac prædictarum horarum officiis interessent, singulis octauarum ipsarum diebus similiter centum. Et subsequenter felicis recordationis Martinus papa V. etiam prædecessor noster, fideles eosdem ad impertiendum pro veneratione sacramenti huiusmodi potiora reuerentiæ & deuotionis exercitia firmare cupiens, singulis ex eis vere pœnitentibus & confessis, qui & quoties in ipsius sacramenti profesto ieiunium, vel loco ipsius aliud pium iuxta consilia suorum confessorum opus fecerint, etiam centum: & qui præmissis in ecclesiis, in quibus illa celebrari contingeret, officiis interessent, nec non episcopis & aliis prælatis superioribus, qui dictis officiis libenter interessent, sed quo minus eis in ipsis ecclesiis interessere possent, pro conseruandis suarum dignitatum iuribus, & aliis tunc legitime impedimentis, pro matutinali ducentos, & pro Missæ officiis totidem, ac pro qualibet Vesperarum etiam ducentos; reliquarum vero, videlicet primæ, tertiæ, sextæ, nonæ & completorii festi octuaginta: rursus autem in quibuslibet octauarum diebus pro singulis matutinalium Missarum & Vesperarum, similiter centum; nec non reliquarum horarum officiorum huiusmodi, quadraginta. Illis præterea, qui processiones in quibus ipsum viuificum sacramentum dicto festo iuxta præfatarum ritus ecclesiarum deferretur, continuo secuti forent, ac quibuslibet in festo ac octauarum diebus huiusmodi pro pace & tranquillitate ecclesiæ Missas deuote celebrantibus, pro singulis ipsarum, nec non aliis in eodem festo eucharistiæ sacramentum deuote sumentibus, etiam centum singulis annis profesto vice quilibet eis, qui dum corpus dominicum communicandis

ANNO
CHRISTI
1449.

deferetur infirmis, illud cum incenso luminari procedendo vel sequendo venerarentur, similiter: & qui tunc illud alias deuoti secuti forent, etiam quinquaginta dies de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Ac etiam ipse Martinus prædecessor noster, quod in festo & diebus octauarum huiusmodi in terris & locis ecclesiasticis, quauis auctoritate suppositis interdicto, pulsatis campanis, ianuis apertis, & alta voce excommunicatis profus exclusis, sed interdictis, vt ocuis reconciliari studerent, admissis, & illis qui causam vel occasionem huiusmodi interdicto dedissent, altari tunc nullatenus appropinquantibus, Missæ & officia præmissa licite celebrari possent, auctoritate apostolica duxit concedendum. Nos vero, quos interim ad summi apostolatus apicem diuina clementia prouexit, etiam pro frequentiori huiusmodi ueneratione sacramenti summis gestientes affectibus nostri partes ministerii salubriter impertiri, nec non relaxationes & concessiones prædictas apostolici robore muniminis ipsorum notioni fidelium committentes, præmissis per eundem Martinum prædecessorem, vt præfertur, relaxatis diebus alios totidem dies pariformiter ab ipsis fidelibus consequendos addicimus per præsentem, & insuper vniuersos patriarchas, archiepiscopos, episcopos & aliarum ecclesiarum prælatos monemus & hortamur in Domino, & eis per apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, & in remissionem peccaminum iniungimus, vt per se vel alios eorum subditos per singulas suarum ciuitatum & diocesis ecclesias in dominicam feriam & festum * pdem proxime præcedente salutaribus ad uenerationem potissime sacramenti huius monitis & exhortatione præsentium, quorum etiam tenor inter matutinales festi, nec non dierum octauarum huiusmodi lectiones recitentur, literarum continentiam & effectum publicare & insinuare procurent, vt eiusdem sacramenti suffragante mysterio, subditi & fideles ipsi spiritualium gratiarum vberiori fulciantur augmento, & ab illo qui se pro ipsis immolauit hostiam, post huius vitæ cursum ad gloriam perducantur æternam. Verum quia difficile foret huiusmodi literas singulis exhiberi, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum

Vuuu iij

transumpto manu publica & sigillo alicuius episcopalis vel superioris ecclesiasticæ curiæ munito, tamquam præfatis, si originaliter exhiberent literas, plena fides exhibeatur, & perinde stetur, ac si originales literæ forent exhibitæ vel ostensæ.

Data Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimotertio, VII. Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno tertio.

XVII.

Baptismus cum summa reuerentia celebretur, maxime in distinctione & prolatione verborum, in quibus sacramenti virtus existit, his scilicet verbis: *Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Doceant igitur sacerdotes tam mares quam feminas, in necessitate debere paruulos baptizare eadem forma in suo idiomate; & quod patres & matres proprios infantes, si summa necessitas exigit, poterunt baptizare: & si sacerdotes super hoc diligenter inquirentes debitam formam in baptismo inuenerint, quod factum est, approbent, suppletentes circa baptizatum, quo ad vnctionem olei in pectore & in scapulis, & chrisomatis in vertice, quod a laicis est omissum. Si autem in baptizato debitam formam non inuenerint obseruatam, non differant pueros baptizare.

XVIII.

Item præcipiendo mandamus, vt secundum constitutionem Lateranensis Concilii eucharistia, chrisma & oleum sanctum sub fideli custodia & reuerentia debita clauibus adhibitis conseruentur, ne possit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia & nefanda exercenda. Si vero is ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, vltra

ANNO
 CHRISTI
 1440.

iuris communis pœnas in libra ceræ eidem eccle-
 siæ soluenda & applicanda puniatur. Et si per eius
 pigritiam aliquod nefandum inde contigerit, eiuf-
 modi subiaceat vltioni iuxta nostram aut vicarii
 nostri ordinationem & delicti quantitatem. Sacra-
 mentum etiam eucharistiæ singulis mensibus ad
 minus semel renouari præcipimus, aut pluries se-
 cundum locorum exigentiam & opportunitatem.

In plerisque etiam ecclesiis mappæ, pallæ, cor-
 poralia, & alia vestimenta diuino cultui deputata
 tam inculta & immunda relinquunt, quod inter-
 dum quibusdam sunt horrore, contra statutum
 Concilii generalis, vniuersis custodibus, sacristis, &
 ecclesiarum rectoribus districte præcipimus, qua-
 tenus omnia vestimenta, ornamenta ac vasa supra
 dicta per ipsos munda & nitida conseruentur; cor-
 poraliaque pluries infra annum iuxta casus exigen-
 tiam per clericos mudentur. Si quis vero in trans-
 gressione huiusmodi statuti culpabilis fuerit, vsque
 ad condignam satisfactionem ab officio suspen-
 datur.

XIX.

Statuimus & præcipimus vniuersis Christi fide-
 libus nostræ diœcesis, vtriusque sexus, ne quisquam
 eorum clandestinis desponsationibus aut occultis
 matrimoniis intersit. Præcipimus insuper in virtu-
 te sanctæ obedientiæ vniuersis ecclesiarum pleba-
 nis, quod postquam ipsis constiterit, pro certo, vel
 probabili fama, aliquos clandestine contraxisse,
 ipsos statim ad publicandum in facie ecclesiæ aut
 iura sua prosequendum coram ecclesiastico iudice

per subtractionem sacramentorum , extra tamen necessitatis articulum cogere non postponant.

ANNO
CHRISTI
1440.

X X.

Districte præcipiendo interdiciamus , ne quisquam sacerdotum pro reconciliatione poenitentium , aut pro administratione alicuius sacramenti , vel aliquorum sacramentalium , paciscatur de sibi danda pecunia , nec aliquo alio æquivalenti pro eadem. Sed volumus dispositis absque dilatione pro tempore & loco congruis administrari & exhiberi secundum ritum ecclesiæ verum , quod rationis & iuris explorati existit , quod socii passionum sint pariter , & socii consolationum , permittimus exoptari etiam cum imploratione officii iudicis quantitatem in talibus consuetudine debitam , ad quam laicos hortamur , & quantum de iure est astringimus & compelli volumus.

Item inhibemus sub poena priuationis officii , ne aliquis sacerdotum quemquam notorie delinquentem accepta pecunia vel alio commodo temporali poena condigna corrigere prætermittat.

Item interdiciamus & districte inhibemus , ne quisquam clericorum , cuiuscumque status fuerit , censum de aliquo beneficio , aut pecuniam vel emolumentum aliud , ex pacto quocumque nomine anticipandæ pensionis , vel alio quocumque quæsito colore , augeat , vel quemquam augere compellat. Contra facientes , tam dantes quam recipientes , duplum quam dederint vel receperint nobis irremissibiliter soluere teneantur , nihilo minus iuxta arbitrium nostrum aut vicarii nostri arctius punientur.

Item

ANNO
CHRISTI
1440.

Item volumus statutum Concilii generalis Constantiensis & constitutionem de simonia editam publicari, vt in fine: quoniam contra transgressores eiusdem districtius, Deo dante, procedemus. Cuius statuti tenor sequitur per omnia in hæc verba:

Martinus, &c.

MVLTA contra simoniacam prauitatem abolim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit extirpari. Nos volentes de cetero, vt possumus, attentius prouidere, sacro approbante Concilio, decernimus quod ordinati simoniace ab executione suorum ordinum sint eo ipso suspensi: electiones autem, postulationes, confirmationes, & quæuis prouisiones simoniacæ ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, personatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque deinceps factæ, nullæ sint ipso iure, nullumque per illos ius cuiquam acquiratur, nec promoti, confirmati aut prouisi faciant fructus suos, sed ad illorum restitutionem, tamquam inique ablatorum percipientes, teneantur. Statuimus insuper quod dantes & recipientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, etiamsi pontificali aut cardinalatus præfulgeant dignitate.

X X I.

Quamuis Iudæi, qui sanguinis Christi vindictam in se receperunt, vbi seruire Christianis, aut se laboribus nutrire parati sunt, benignitate ecclesiæ misericorditer tolerantur; ipsi tamen gratia sancta & tolerantia non contenti, orthodoxorum religionis Christianæ facultates vsuris exhauriunt, laqueos offensionis ingerunt, & petram scandali; in qua defensione & adiutorio aliquorum culpabilium laicorum detestabilius fouentur.

Hinc statuimus districtè præcipiendo, quod Iudæi in nostra diocesi non permittantur fenerari,

Concil. Tom. 33.

X X X X

nec vti famulis Christianis. Nullus quoque Christianus domos ad habitandum eisdem ad exercendum fenus locet, nec permittatur eis communio maxime ad frequentem visitationem Christianorum, præterquam in casibus præmissis, ne eorundem peccatis reuoluantur. In die pentecostes fenestræ & ostia clausa teneantur toto die. In diebus autem lamentationis & dominicæ passionis in publicum minime prodeant: cum salutaris hostia ad infirmos deportatur, caueant omni diligentia, ne contra Christianam fidem, beatam virginē, vel sanctos alios, contumeliosa verba proferant, nec permittantur cum simplicibus disputare de fide; ne callidis sermonibus corda percutiant simplicium. Nullus cum eis edere præsumat, aut balnari, aut medicinas ab eis capere. Si quis vero Iudæorum in his culpabilis repertus fuerit, eidem communio Christianorum denegetur. Quod si quis Iudæorum mulierem cognouerit Christianam, pro tanto facinore viginti libras denariorum vsualis monetæ domino loci, in quo scelus hoc perpetratum fuerit, irremissibiliter soluere teneatur. Ad hoc per captionem rerum & personæ, nec non aliis opportunis remediis compellendus. Idem, si Christianus quod detestabilius est, propter periculum partus, cognouerit Iudæam. Et si Iudæus satisfacere pœna pecuniaria nequierit, carcerali custodiæ mancipetur afficiendus, donec scandalum sopiatur. Christianus quoque ad Iudæam accedens * vltimam dictam multam, excommunicationis pœnam, absolutionis beneficium a nobis vel vicario nostro meruerit obtinere.

ANNO
CHRISTI
1440.

XXII.

Vsurarum voraginem detestantes, inhibemus omnibus Christi fidelibus nostræ diocesis, tam clericis quam laicis, ne pecunias ad vsuras mutuent, aut in impignorationibus vltra sortem aliquid ex pacto recipiant, nec emptiones detestabiles faciant, aut alios quoslibet actus vsurarios exercent. Quod si quis contra fecerit, vltra pœnas iuris communis & Concilii prouincialis Saltzburgensis, subiaceat solutioni decem libras denariorum vsualium irremissibiliter soluendorum ad fabricam ecclesiæ, aut in vsus pauperum, iuxta nostrum aut iudicantis nostri nomine arbitrium, conuertendos. Inhibemus insuper sub excommunicationis pœna vniuersis prælatis, decanis, plebanis, & ceteris quibuscumque religiosi & sæcularibus, ne aliquem dictis criminibus manifeste reum, satisfactione non præmissa, ad quam tamen eosdem induci volumus, modis possibilibus ecclesiasticæ tradant sepulturæ.

XXIII.

Volumus & mandamus statutum diuæ memoriæ Guidonis legati de latere per nostram diocesim promulgari & publicari: quo cauetur, quod quicumque personam ecclesiasticam vulnerauerit enormiter, captiuauerit vel occiderit, ipso facto ea quæ ab ecclesia, nomine feudi, iure censuali, vel in emphyteusin, aut alias quocumque nomine tenuit, perdat penitus & amittat, in vtilitatem ecclesiæ conuertenda. Adiicimus quoque, quod in illa parochia, in qua canonicum ecclesiæ cathe-

Concil. Tom. 33.

XXXX ij

dralis capi contigerit vel detineri, vel alium in dignitate vel personatu seu clericatu constitutum, donec liberetur & absoluator, cessetur generaliter a diuinis, salua satisfactione eidem debita impendenda.

XXIV.

Quia nonnulli sacerdotes sæculares vel religiosi in pœnitentia frena laxare, & extra terminos sibi positos auctoritatem in casibus superioribus referuatis præsumere ausu temerario referuntur, sub excommunicationis pœna inhibemus, ne quisquam sacerdotum, regularis vel sæcularis, nostræ diœcesis quemcumque sibi confitentem in casibus sedis apostolicæ de iure vel consuetudine referuatis absolvere præsumat, nisi habito desuper eiusdem sedis indulto & mandato speciali, nec etiam in casibus similiter de iure aut consuetudine episcopo referuatis aliquem absolvere attentet, præsertim excommunicationis maioris vinculo innodatum, hæreticum, Iudæum, fautorem alterius eorundem, laicum prædicatorem aut auditorem eius, spoliatorem alicuius dotis ecclesiasticæ, aut * sacerdotes, maxime in agone laborantes, aut temerarium occupatorem bonorum ecclesiæ, depopulatorem agrorum, vinearum & hortorum, incestuosum, fornicatorem cum sacra moniali, homicidam, etiam casualem, publicantem confessionem sibi factam, peccantem contra naturam aut cum brutis, sacrilegum, incantatorem seu incantatricem, præcipue cum sacramentis, sacramentalibus, vel ossibus mortuorum, prolis oppressorem, etiam a casu incendiarium,

ANNO
CHRISTI
1440.

commercia habentem cum Iudæis, maxime in vsuris, propinantem, ementem aut vendentem venenum, præsertim in machinationem mortis proximi, dæmonem inuocantem, cudentem falsam monetam, vtentem scienter auro vel argento falso, cogentem Christianum dare ad vsuram, blasphemum nominis Christi vel sanctorum, falsum testem, coeuntem cum Iudæa, obligatum ad vagas restitutiones, nec quemquam alium enormibus criminibus irretitum, non habita a nobis desuper commissione speciali & expressa.

Item volumus, sub eadem pœna, omnes confessores absoluendo vti ad minus istis verbis: Ego absoluo te a peccatis tuis, & restituo te sacramentis ecclesiæ. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.

Inhibemus insuper sub excommunicationis pœna, districte præcipiendo, ne quisquam sacerdotum, religiosus vel sæcularis, nostræ diœcesis, non habita desuper sedis apostolicæ aut nostra seu vicarii nostri speciali licentia, se intromittat de distributione rerum male acquisitarum, incertarum & vagarum.

Quia ex pastoralis sollicitudine incumbit prælatis suorum subditorum vultum intrinsecus agnoscere secundum talentum sibi creditum, statuimus propterea, volumus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt omnes abbates, præpositi, decani, archidiaconi nostræ diœcesis, specialiter non exempti, nobis aut vicario, omnes vero sacerdotes inferiores suis decanis, monachi suis abbatibus vel præpositis, qui per præpositos soliti sunt gubernari, sua

peccata confiteantur, nisi alicui ipsorum a superiore nostro, aut nobis, seu vicario nostro, de spirituali indulto aliud sit concessum.

Abusionibus quæstorum viam præcludere cupientes, statuimus, volumus, & mandamus, quod hi qui præsumunt ecclesiis nullum quarumcumque occasione literarum petere vel colligere eleemosynam permittant, nisi literis eorundem prius diligenter perspectis, & nostris aut vicarii nostri, quibus appareat quod suæ literæ sint veræ, ac eorundem auctoritas adhuc duret, seu non expirauerit. Quo comperto, nulla portione recepta, exacta vel requisita ab eodem pro eleemosyna petenda, admittatur. Quod si qui contra fecerint, triplum restituere teneantur ad vsus quibus eleemosynæ sunt deputatæ, remissione colligentium minime profutura. Nec tunc, præter id quod in literis continetur exhibitis, aliquid proponere populo permittatur. Hortamur præterea vniuersos & singulos nostræ diocesis laicos, ne quæstores & collectores huiusmodi in eleemosynis colligendis quoquo modo perturbent aut impedire præsumant.

Præcipimus insuper & mandamus omnibus prælatis, rectoribus & vicariis ecclesiarum, sub excommunicationis pœna, quod omnes falsos quæstores, qui non exhibebunt per omnia sanas literas, detineant captiuos, ipsosque nobis aut vicario nostro transmittant vel denuntient quanto citius poterunt, pro demeritis puniendos, taliter quod exemplis eorum ceteri similia facere pertimescant.

ANNO
CHRISTI
1440.

XXV.

Præcipimus, & in virtute sanctæ obedientiæ inhibemus omnibus nostræ diocesis iurisdictioni præsentibus, ne quemquam clericum vel laicum pro culpa vel contumacia excommunicent, sine scriptis & monitione canonica non præmissa.

Quoniam iuris apices non omnibus innotescunt, ad vberiore[m] sacerdotum instructionem & salubrem informationem, qualiter sacerdotes interdicti tempore se gerere debeant & habere, præsentem declaramus statuto, quod interdicti tempore tam ab homine quam a iure prolati, tam sani quam infirmi sunt ad remedium paterne admittendi, nisi fuerint interdicti vel excommunicati, vel quorum dolo, culpa, consilio, favore aut auxilio latum extitit interdictum. Quibus tantum viaticum & baptismum paruulorum conceduntur; nullus inungatur, vel tradatur ecclesiasticæ sepulturæ, præter clericos qui seruauerunt interdictum; nisi tales sint qui nominatim excommunicati, interdicti vel suspensi fuerint. Qui vero clerici non fuerint huiusmodi sententiis innodati, sine pulsatione campanarum constantibus quibuscumque solennitatibus cum silentio tumulentur. Insuper sacerdotes populum habentes, sine scrupulo conscientiæ, semel in hebdomada viros & mulieres possunt ad ecclesiam conuocare, nec non ipsis exponere verbum Dei: Mulieres post partum non inthronizentur cum solennitate psalmi & orationum: nuptiæ sic non benedicantur: nec aqua benedicta populus solenniter

aspergatur. Singulis diebus Missæ in ecclesiis celebrentur, & alia quæuis diuina officia, sicut prius, submissa tamen voce, ianuis clausis omnino quibuslibet excommunicatis & interdictis, ac omnibus aliis, nisi super hoc priuilegium exhibeant speciale, exclusis, ministris altaris dumtaxat exceptis, campanis non pulsatis, bini vel insimul tres horas canonicas simul legere possunt, ita quod foris seu extra ecclesiam nullatenus audiantur. In festiuitatibus vero natalis domini, paschæ, pentecostes, ac assumptionis beatæ Virginis gloriosæ, a Vesperis vigiliarum earumdem vsque ad Vesperas earumdem festiuitatum inclusiue, campanæ pulsentur, & ianuis apertis alta voce diuina officia solenniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis; sic tamen quod illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent, nec in illis festiuitatibus sepeliantur corpora mortuorum, neque viuis & sanis illis diebus sacramentum eucharistiæ ministretur. Præterea inhihemus ne in ecclesia non consecrata, vel a iure vel ab homine interdicta, vel execrata per humanum iniuriosum sanguinem, vel semine humano & vxorio polluta, nullatenus diuina celebrentur.

Item decreta sacri generalis Concilii Basileensis de excommunicatis certo modo non vitandis, de interdictis non leniter ponendis decretata, & per nationem Germanicam acceptata, per diocesium nostram cupientes publicari, tenores eorumdem præsentibus nostris statutis & constitutionibus
duximus

ANNO
CHRISTI
1440.

duximus inferendos, qui sequuntur per omnia in hunc modum:

Ad vitandum scandala ac multa pericula, subueniendumque conscientis timoratis, statuit hæc sancta Synodus, quod nemo deinceps a communione alicuius in sacramentorum ministracione vel receprione, aut aliis quibuscumque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscumque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis, ab homine vel a iure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio vel censura huiusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, vniuersitatem, ecclesiam, vel locum certum, a iudice publicata vel denunciata specialiter & expresse: aut si aliquem ita notorie sententiã excommunicationis constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari: nam a communione illius abstineri vult, iuxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari. Quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione scandala multa consueuerunt euenire, statuit hæc sancta Synodus, quod nulla ciuitas, oppidum, castrum, villa aut locus, ecclesiastico supponi possit interdicto, nisi ex causa seu culpa ipsorum locorum aut dominii, seu rectoris vel officialium. Propter culpam autem seu causam alterius cuiuscumque priuatæ personæ huiusmodi loca interdicti nequaquam possunt auctoritate quacumque ordinaria vel delegata, nisi talis persona prius fuerit excommunicata ac denunciata, seu in ecclesia publicata, ac domini seu rectores vel officiales ipsorum, locorum auctoritate iudicis requisiti, huiusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non eiecerint, aut ad satisfactionem compulerint: qua etiam post biduum eiecta recedente vel satisfaciente, mox diuina resumi possint: quod etiam in pendentibus locum habeat.

Pridem reuerendissimus pater & dominus noster dominus Ioannes sanctæ sedis Saltzburgensis

Concil. Tom. 33.

Yyyy

archiepiscopus nobis intimare curavit, quod nuper in diæta Moguntinensi indicta per illustrissimum principem & serenissimum dominum nostrum dominum Albertum, Romanorum, Bohemiæ, Hungariæ, &c. regem, oratores eiusdem domini regis, nec non aliqui sacri imperii principes electores propriis in personis, alii vero ac etiam totius Germanicæ nationis metropolitani per suos oratores conuenientes, inter diuersos tractatus ibidem præ manibus habitos, decreta edita in sacra Basileensi Synodo, cum certis tamen restrictionibus, modificationibusque, temporum qualitatibus, ac dictæ Germanicæ nationi accommodis, concorditer acceptarunt. Quapropter nos hortando requisivit, quatenus dicta decreta per diœcesim nostram reuerenter publicare, exequi, & obseruari mandaremus, sicut præfertur restricta & modificata. Nos vero mandatis superioris obedire, veluti tenemur, volentes, dicta decreta, sicut & præmittitur, acceptata, cum quorundam ex eis qualificationibus & modificationibus, præsentibus nostris statutis duximus quoad ipsorum initia adiungenda, mandantes quatenus omnes & singuli vtriusque status homines nostræ diœcesis, quorum interest, ea fideliter obseruent sub pœnis in eisdem contentis. Et primo decretum per sacrum Constantiense Concilium factum, & per sacrum Basileense Concilium renouatum, de auctoritate & potestate sacrorum generalium Conciliorum, temporibus & modis eadem conuocandi & celebrandi, quod est primæ sessionis, & incipit: Frequens generalium Conciliorum

ANNO
CHRISTI
1440.

celebratio agri dominici præcipua cultura est, &c.
Iterum decretum de electionibus duodecimæ sessionis, quod incipit : Sicut in construenda domo præcipue est architectoris cura. Sed quia lex sic clare non tendi potest, quin aliquam possit recipere dubitationem, petitum est quatenus sacrum Concilium declarare dignetur quod electiones pontificum & abbatum fiant seruata forma in hoc decreto tradita; quodque in ceteris inferioribus dignitatibus electiuus quibuscumque sufficiat modus & forma iuramenti in eodem decreto expressi. Ceterum statuere dignetur sacrum Concilium, quod promouendus per papam secundum quamdam clausulam huius decreti, quæ incipit, Nisi ex magna, &c. remittatur consecrandus aut benedicendus ad suum superiorem immediatum; si forsan talis promouendus fuerit præsens in Romana curia: quo tamen nihilo minus remittatur, vt huiusmodi suo immediato superiori præstet debitum iuramentum; quodque etiam confirmatio electionum fiet per immediatum superiorem, ad quem spectat ius confirmandi: & si ipse sine causa rationabili confirmare distulerit, seu recusauerit, mediatus superior adiri poterit. Insuper quod etiamsi contingat provisionem per sacrum Concilium domino papæ non fieri, nihilo minus electiones secundum formam huius decreti & supra declaratam valeant fieri, & robur obtineant, neque, propterea quod sibi per sacrum Concilium prouisum non fuerit, quouis modo valeant impediri. Item decretum decimæ quintæ sessionis, de Conciliis synodalibus &

prouincialibus obseruandis, quod incipit: Pridem hæc sancta Synodus quoddam, &c. Item decretum decimænonæ sessionis, de Iudæis & neophytis, quod incipit: Saluatoris nostri Iesu Christi sequens vestigia, &c. Item omnia saluberrima decreta vicesimæ sessionis, quorum primum disponit de publicis concubinariis, & incipit: Quicumque clericus, cuiuscumque, &c. Secundum, de modo communicandi his qui dicuntur excommunicati, suspensi vel interdicti, & incipit: Ad vitandum scandala, &c. Tertium, de modo & forma ponendi interdictum in loco, & diuina resumendi, & incipit: Ut lites citius terminentur, &c. Similiter omnia decreta vicesimæ primæ sessionis, quorum primum tollit annatas. Circa hoc tamen dignetur sacrum Concilium declarare, quod non intendit per hoc decretum prohibere, quando licite exigatur & soluatur, si quid tempore receptionis beneficiati solitum sit solui fabricæ vel pro ornamentis ecclesiæ, vel simili casu, ad usum tamen diuini cultus, & non ad priuatum commodum personarum conuertendum. Secundum decretum vicesimæ primæ sessionis disponit de pacificis possessoribus non molestandis, & incipit: Quicumque non violentus. Tertium docet quomodo diuinum officium sit in ecclesia celebrandum, & incipit: Si quis principem sæculi. Quartum ostendit quo tempore debet quis esse in choro, & incipit: Qui in matutinis. Quintum, qualiter extra chorum horæ canonicæ sunt dicendæ, & incipit: Quoscumque etiam, &c. Sextum, de his qui tempore diuinorum vagantur per ecclesiam, & in-

ANNO
CHRISTI
1440.

cipit: Quicumque in ecclesia. Septimum, quod tabula pendeat in choro, & incipit: Vt cuncta in domo Dei ordinate, &c. Octauum, quod in Missa impleatur Credo, & quod non basse legatur Missa, & incipit: Abusum aliquarū ecclesiarum. Nonum, de pignorantibus cultum diuinum, & incipit: Abusum etiam illum cultui diuino, &c. Decimum, de capitulis tempore Missæ non tenendis, & incipit: Prohibet hæc sancta Synodus. Vndecimum, de spectaculis non faciendis in ecclesia, & incipit: Turpem etiam illum, &c. Similiter decretum de numero & qualitate cardinalium, de quo in vicesimatertia sessione, & incipit: Cum summo pontifici, &c. Item decretum eiusdem vicesimatertiae sessionis, de electione cassanda, (ex qua turbari posset ecclesia) & incipit: Licet dudum hæc sancta Synodus, &c. Item decretum eiusdem sessionis, per quod reservationes tolluntur, & incipit: Et quia multiplices. Circa hæc tamen dignetur sacrum Concilium ius commune renouare, quod propter huiusmodi beneficia in dicto decreto sibi reseruata conferat infra spatium vnus mensis, alioquin ordinarii conferre valeant, quodque prouisi a papa infra quatuor menses ordinariis suam prouisionem, sub pœna amissionis iuris, insinuare debeant. Item decretum sessionis eiusdem tollens Clementinam Literis. de probat. & incipit: Licet in apostolicis, &c. Insuper decreta tricesimæ sessionis de communione sacramenti eucharistiæ, & incipit: Vt lucidius videatur, &c. Item decretum de collationibus beneficiorum tricesimæ primæ sessio-

nis, & incipit: Placuit diuinæ pietati, &c. cum aliis decretis, de qualificationibus in ordine promouendorum loquentibus. Supplicatur cum sacro Concilio vt declarare dignetur, quod vigore horum decretorum non intendit tollere inferioribus ordinariis tempus Lateranensis Concilii, quodque ante ipsius lapsum non habeat locum præuentio.

ANNO
CHRISTI
1440.

XXVI.

Quo hæc statuta non tradantur obliuioni, & ne quisquam ignorantiam valeat allegare, sed vt subditi possint in eis frequentius meditari, sub excommunicationis pœna præcipimus & iniungimus omnibus abbatibus, præpositis, prælatis, & decanis, vt transcriptionem prædictorum & copiam totalem ac plenam habeant, & ea bis in anno de verbo ad verbum abbates & præpositi, conuocatis omnibus monachis & canonicis regularibus, & præpositi seu decani cathedralis & collegiatarum ecclesiarum, canonicis suis in vnum collectis; decani vero singuli in conuentu, collegio seu capitulo, suis confratribus omnibus, etiam non curatis, accersitis publicent, & perlegant, aut publicari & perlegi faciant. In contrarium, contra huius statuti neglectores seu contemptores inquisitionem habebimus diligentem, pœnas exactissime persecuturi.

Acta conclusa & approbata sunt hæc a sacra Synodo nostra episcopali, in ea nobis tunc personaliter præsidentibus, in aula nostra episcopali Frisingensi, die Veneris secundo mensis Septembris, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo. In quorum & rei sic gesta robur & testimonium sigillum vicariatus nostri præsentibus est impressum.

ANNO
CHRISTI
1440.

Forma iuramenti soliti per testem synodalem præstari.

Ego N. iuro, quod amodo & antea quidquam noui aut audiui, aut postmodum inquisiturus sum, quod contra voluntatem Dei & totam Christianitatem in ista parochia, vel in isto meo decanatu, (si decanus iurat) factum sit aut futurum erit, si in diebus meis euenerit, cum ad meam cognitionem quocumque modo perueniat, si scio, aut indicatum mihi fuerit synodalem esse causam, & ad ministerium episcopi pertinere, quod ego nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter precium, nec propter parentelam, nullatenus celem episcopo meo aut eius misso, cui hoc inquirere iusserit, quandocumque me ex hoc interrogauerit. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia; (si presbyter est.) Alias sic: Et illorum sanctorum reliquia.

ANNO
CHRISTI
1446.

REFORMATIONES

CLERI DIOECESIS LEODIENSIS
anno Domini MCCCCXLVI. tempore Eugenii papæ IV.
per reuerendum patrem dominum Ioannem episcopum
Leodiensem facta, & per capitulum maius Leodiense
sigillata, ac postea per Nicolaum V. approbata.

*Vniuersis presentia statuta visuris seu auditoris Ioannes Dei
gratia episcopus Leodiensis salutem in Domino sinceram.*

QVAMVIS bonæ memoriæ Adulphus episcopus Leodiensis, prædecessor noster, ad extirpandum officiariorum curiæ nostræ, nec non curialium venerabilium virorum, præpositi, capituli, * archiepiscoporum nostrorum Leodienfium ipsas curias sequentium, abusus & excessus, quædam vtilia statuta condiderit, quædam scilicet anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo, mensis Septembris die vigesima octaua; quædam autem anno eodem, sed mensis Octobris die septima; alia quædam anno a natiuitate eiusdem Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, mensis Iulii die nona: & illa mandauerit sub certis pœnis in eisdem adiectis inuiolabiliter obseruari. Illa tamen vsquequaque obseruata non sunt: vnde gra-

* legendum
archidiaconorum